



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE****ECCLESIA SANCTA** TEMPLUM S. HYACINTHI DE YAGUACHI, IN ARCHIDIOECESI

**GUAYAQUILENSI, AD DIGNITATEM BASILICAE MINORIS EVEHITUR** Ad perpetuam rei memoriam. – Ecclesia sancta catholica, a primaeva sui aetate, cultum Sanctorum non modo non reprehendit, sed et vehementer adprobavit: Sancti enim vere sunt amici Dei, qui non solum ob meritum virtutis ei carissimi facti sunt, sed caelestes hominum patroni iure habentur, in hoc terrestri itinere ad patriam immortalem, ad quam tendimus. Ceterum, vita illorum sancta, fit saepe egregiarum virtutum imago, stimulus, et imitabile exemplum. Quare, cum Venerabilis Frater Bernardinus Echeverria Ruiz, Archiepiscopus Guayaquilensis, ab hac apostolica Sede, suo suorumque tum sacerdotum tum fidelium nomine, petierit, ut templum S. Hyacinthi, in loco Yaguachi surgens, in sua archidioecesi, ad dignitatem Basilicae Minoris tolleretur, Nos aequo animo eius expostulationi concedimus: est enim templum illud nobile opere, nobilius pietate, quae ibi colitur erga clarissimum hoc Poloniae decus, quod tam lucet, quodque tam carum habemus. Iis ergo probatis, quae S. Congregatio de Sacramentis et Cultu Divino hac de re statuerit, apostolica Nostra auctoritate templum S. Hyacinthi, de quo diximus, in Basilicis Minoribus annumeramus, factis nempe iuribus atque privilegiis debitis, modo servata sint ea quae Decretum «De titulo Minoris» iubet, die VI mensis Iunii factum, anno MDCCCCLXVIII. Contrariis nihil obstantibus. Ceterum, est in votis, ut datus honor fides incrementa afferat, ac virtutem in pectoribus, ceu flammam alat. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVIII mensis Iunii, anno MDCCCCLXXX, Pontificatus Nostri altero.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1980 - Libreria Editrice Vaticana